

Historia anatomica calculorum, insolentioris figurae, magnitudinis ac molis, in renibus clarissimi philosophi, J. Sperlingii, repertorum / [Johann Daniel Major].

Contributors

Major, Johann Daniel, 1634-1693

Publication/Creation

Lipsiae : Impensis Johan. Barthol. Oehlerii, excudebat Johan-Ericus Hahnus, 1662.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a2p53bz7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

J. DAN. MAIORIS,
Phil. & Med. D.

HISTORIA ANATOMICA
CALCULORUM,

Insolentioris Figuræ, Magnitudinis
ac Molis, in Renibus Clarissimi Philosophi, J. Sper-
lingii, repertorum.



LIPSIÆ,

Impensis JOHAN. BARTHOL. OEHLERI, Bibl.

Excudebat JOHAN-ERICUS HAHNIUS.

A. C. 1662.

J. DANIELSON

1812

HISTORICAL

GALLERIES

OF THE

AMERICAN

ART

OF THE

AMERICAN

ART

1812

OF THE

AMERICAN

ART

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Clarissimoq;

DN.

D. JOH. MICHAELI,

Hæreditario in VENDORFF/

Academiae Lipsiensis Prof. P.

& Decano, nec non Archiatro Saxo-Alten-
burgico, eminentissimo,

S. P. D.

A U T O R.

Magnifice, Nobiliss. Ampliss. & Excellentissime
Vir, Dne ac Fautor honorande:



On Heroibus aut Principi-
bus offero hunc discursum, sed
celebratissimo T. nomini inscri-
bo. Ut enim Jctis Forensia, sic
Medicis Medica debentur. Quo-
rum doctrina sanè ante Hippocra-
tem vix Scriptis edebatur, sed tan-
quam Divinum quid à Diis pri-
mùm exerceri, inde à Phæbo ac

Æsculapio ad humanum genus, maximè verò Asclepia-
darum familiam ore tenens propagari, eiqve quasi per ma-
nus tradi credebatur. Ex hac familiâ natus erat Hippocra-
tes, medicus Græciæ ter maximus. Tantus certè, ut ipsum

Helmontius, contemtor aliàs Veteris Medicinæ, non dubitet, Adepti nomine, h. e. cui Universalis medicina cognita fuerit, vel, qui solus inter Antiquos veras & radicales omnium Morborum causas & genuinum curandi modum sciverit, salutare.

Iste Hippocrates veluti primus aut semel Medicinam literis consignasse dicitur, ita scribendi licentia continuo post hunc ad seqviores omnes omnium seculorum Medicos est delapsa, traducentibus eam, prout decet, partim ad honestam Ingenii sui aut laborum ostentationem, partim ad commodum, Posteris pro virili conferendum. Præter quos duos scopos nescio quàm intima me cumprimis in Te officiositas commovit. Te, inquam; sed quem Virum? quem Principum Personarum Medicum, & Principem Medicorum eqvidem non difficilè, Parentem tamen & Hermetem Jätricæ plebis non injuriâ mallem dicere, si merita in hanc, & in Remp. literatam, tot annis collata æstimem, aut, quæ indies adhuc in utramque partem confers.

Quot enim Aureorum, non Centenarios dico, sed Myriades, ab aliquot lustris jam, cōstanti nisu, pro amplificando magis magisque Laboratorio Chymico, Augustâ prorsus & curiosâ efficacissimorum Medicaminum fabricâ illustri, hætenus non profudisti! Cujus loci parietes non clausos invide tenere soles, sed pervios toleras tam Filiis Artis Tuæ, ac Studiosæ Juventuti, quàm aliis etiam, qui tam prudens ac liberale Institutum Tuum sedulò admirantur.

Quantos, ac quot sumtus non expendis pro comparando, ac inferendo in Bibliothecam tuam, quicquid quocunque modo ad Medicinam spectans, passim quotidie in Lucem prodit, ut Manuale haut sit, non Liber medii ordinis

nis aut molis, non opus tandem regium aut Tricubitale, cuius impressi, atqve, ut sic dicam, calentis ab incude adhuc, commeatus, continuo non transeat ad Musæum Tuum, verum Medicorum Vaticanum, veram Æsculapii ac Phœbi sedem.

Ubi situm sanè dein non patiuntur Libri, aut desidi ocio condemnantur; sed vigili oculo & attentâ mente quemadmodum à Capite ad Calcem pervolvuntur; sic, quicquid annotatu in iis dignum obvenit, judiciosè ac dextrè, à conductis hanc in rem Synergis eruditis, in Adversaria & Indices remissorios transfertur, tanquam Arbores transplantari solent, posteris profuturæ. Vera dico, nec verbum rei addo.

Quâ ratione porrò Commercii illius Epistolici Amplitudinem satis prædicabo, quod Tibi cum præclarissimis Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæ, Batavii, aliarumqve Europæ Provinciarum, immò & extra Europam, Medicis intercedit, ut dies haud effulgeat, quâ unæ aut alteræ literæ à publicis Regionum aut Urbium Tabellariis Lipsiam ad Te non perferantur, velut ad Oraculum. Quos Cursores aliis vicissim atqve aliis Responsoriiis continuo fatigas solo eo fine, ut publicè consiliis prosis, quorum energiam ac vim ipsâ Medendi felicitate, privatim in cubilibus ægrorum, passim ad stuporem probas.

Et, quod palmarium tandem Medici periti decus est, non cryptologus in Cathedrâ publicâ es, non Arcana repas, non invidè dotes tuas condis, aut iniquâ spe Lucri traheris; sed fideliter, ac gratis sæpe Auditorum Tuorum desideriiis usque adeo affulges, ut reportent commodi plus, quàm gratiæ rependant.

Expertus quâ antenus ista loquor, nec diversum unquam Te offendi, quândiu elapsis annis, etiamsi men-

ses tantum aliquot, ab Ore Tuo hæsi; ut non pudeat me etiamnum, TE non Doctoris amplius, sed Patris instar quodammodo honorandi. In cuius iusti Affectus memoriam, ne nihil interim meritis Tuis compensetur, ecce Historiam quandam Anatomico-Medicam Tibi, talium peramanti, offero, enixè rogans ut benevolâ, quæ clares, fronte, illam accipere ne dedigneris.

DEUS Magnificentiam T. servet, concedatque clemens, ut non innumeris solum decumbentium Ægrorum Familiis, tanquam salutiferum sidus, porro affulgere, sed proprio etiam floridæ senectutis exemplo edocere queas, non posse illum gloriosè aliis mederi, nisi qui Ipse sit Longævus. Vale. Scrib. Wittebergæ, d. 26. Febr., st v. 1662.

HISTO-



HISTORIA ANATOMICA.

Quam admirabilis sit structura Renum, quantam *Renum Fabrica admirabilis.* solertiam Natura impenderit in Fabricâ eorum, tum ex scriptis Anatomicorum passim liquet, inter quorum Principes meritò quidem hac ex parte statuimus Medicum Prusis clarissimum, JOH. LOESELIIUM, tum ex Autopsiâ imprimis est petendum.

Sive enim Parenchyma illorum consideres & vasa, peculiare prorsus id, & bicolor intus est, venulisqve & arteriis plurimis, non minus, ac ipsa Epatis, Lienis, Pulmonum, dicam & Cerebri substantia intertextum, ut debitus ipsis hoc pacto influat alimenti gurgis, vel abundantior ad Cor redundet.

Sive connexas in sinu eorum carunculas verrucosas & veluti papillares adspicias, gratâ candoris specie albicantes etiam ex his argui potest insignis quædam Naturæ sapientia, quandoquidem hæc glandulas illas sive pro evacuandâ segregandaqve ex sanguine colluvie serosâ, sive pro stabiliendis Renum cameris & distinctis ibidem laterum, veluti tubulorum ab Ureteribus productorum divaricationibus effinxit, ut commodius hoc pacto ab his tanquam ex pelvi quâdam, infernè per aperturam veluti per infundibulum, indeqve per Ureteres, tanquam Tubulos quosdam ac Aquæ ductus, in Vesicam non secus atqve in lebetem aliquem aut foveam, serosus Massæ sanguineæ latex, veluti liquor, destillantæ Aquæ, derivetur, & commodè postea per meatum Urinari-um, tanquam per appendicem, aut caniculum, sed recluso prius ad arbitrium Sphinctere, velut Epistomio, emittatur. Ut alia huc spectantia non attingam, quæ summam quemadmodum Naturæ Architectricis solertiam, sic Directoris ipsius DEI Benignitatem & inexhaustum Providentiæ Oceanum, in ingeniosâ istiusmodi Renum, veluti Fontis alicujus aut Hydropægnii, fabricâ attestantur.

Hydropægnis comparatur.

Renum pathemata varia.

Præcipue Calculi :

Quibus obnoxius fuit Cl. Sperlingius,

iusq; insolentioribus.

Calculi in variis corporis partibus.

Eorundem proinde Consideratio quo justius unquam admirabundos Animos in se concitavit eò magis dolendum est, postquam ex Inobedientiæ primæ culpâ Immortalitas hominum Mortalitate est damnata & corpus nostrum aliis quibuscunq; ærumnis obstrictum, tam nobiles ejusdem corporis Partes ne ipsas quidem ab ægritudinibus omnimode exemptas esse, sed diris quam sæpe exagitari, (penes Adultiores præcipue) Morbis & eorum causis tam atrocibus torqueri symptomatum insultibus, ut Hominem credas totum in Dolores versum à calculis quam maxime, partim in Cavitate Renum hærentibus, partim per exsertos Ureterum Canales, sed irritò interdum Naturæ stimulo transitum sibi quærentibus unde Tensio, & Dolor, Affluxus Humorū ac Inflammatio, Febris, Vigiliæ, Deliria, Vomitus, Urinæ suppressio, periculum suffocationis, Virium jactura, & ipsa tandem Mors.

Illustre hujus rei, sed funestum exemplum Anno currentis Seculi quinquagesimo octavo, die XII. Mensis Augusti, experiri hic VVittebergæ fuit in celebratissimo Philosopho, Physicorumq; cum primis, dum viveret, Phosphoro, summis laudibus illustri JOH. SPERLINGIO. Hic, quâ patientiâ vicerit, acerbissimos quantumvis Renum & Lumborum dolores, quam propriâ sibi h. e. compositâ Mente pertulerit aliquot retrò annis, tam atrocem ac lentam Mortis suæ causam, supra facundiam hic, & quodammodo præter scopum est.

Calculi tamen ex Corpore ejus à me extracti, & feriens identidem animum meum, utut elapso jam plusquam Triennio, observationis istius Memoria, addo & justus in piè defunctum cultus, id effecit ut mori imposterum haut finerem qualemcunq; etiam ejus rei Historiam, sed quantum in me est sedulò eandem ad Posterōs propagarem, imprimis, quod calculi isti tum Magnitudinis & formæ, tum abundantia simul essent insolentioris.

Missis proinde jam ambagibus nimis, Misso calculorum alioqui præter Renes Ureteres aut Vesicam subjecto, sive in cerebro etiam, palato, ac sub lingvâ, sive in auribus, oculis aut palpebris, gutture prætereà, mammis aut corde, sive in pulmone aut epate, ejusque cysti Felleâ (cujus rei exempla vid. apud Clariss. D. JOH. DANIEL HORSTIUM, Manud. ad Medic. p. m. 104.)

five

sive in splene tandem aut ventriculo, in Intestinis (vid. HENR. RUFUM obs. 4. apud RIVER. obs. communicat. p. 338.) in mesenterio, testibus, scroto, pene (vid. HENR. ab HEER obs. 7. Spadan. ab Ampliss. Dn. D. JOH. MICHAELE edit. pag. m. 113.) Utero, juncturis Articulorum, ipsis etiam Musculis ac Nervis (vid. eundem Rufum obs. 5. ibid.) Membranis (vid. Tulp. l. 2. obs. 48.) Venis verò præcipuè ac Arteriis aliisque partibus quamplurimis quas studiosissimè magnus noster D. SENNERTUS (lib. 2. Instit. Med. parte 2. c. 9.) profecutus est, nasci soleant.

Missa ferè etiam eorundem materiâ, & modo succrescendi, *Eorundem* an intercedente aliquo glutine enascantur (quod mordicus impu- *Materia.* gnât HELMONTIUS d. Lithiasi c. 2. §. 20.) atque rectene, an minus materia Calculorum Tartarus vocetur, de quo eque non litigo, cum bellum de verbis haut facile sustineam, aut planè in genere, unde nata sit Fœculentiæ Tartaræ appellatio, cui Etymologiæ ex professo satisfecit Nobiliss. D. PHIL. JAC. SACHS (Ampelograph. Curios. sect. 9. c. 2. p. 584.)

Missaque tandem ferè quod potissimum tamen alicui videri possit, Causâ Effectrice an calculi scilicet à calore sive Renum, si- *Efficiens an* ve aliorum viscerum limosas sanguinis partes forma sedimenti in *Calor ?* Renibus, per modum sive fixationis sive præcipitationis relictas, coquente, assante & consequenter, per resolutionem humiditatis indurante, an à frigore easdem congelante, an planè à spiritu *Vel frigus ?* quodam, Sale aut Aurâ lapidificâ, non tam Renibus aut aliis par- *Vel* tibus quam ipsi Fœculentiæ sanguinis & materiæ Calculorum ra- *Aura lapidi-* tionaliter inhærente, producantur; quod posterius sanè simplici- *fica ?* ter negari nequit, si certos salium in chylo & sanguine hærentium status & energiam perpendamus, prout fusius hoc in præconcep- to jam pridem à me Lithologiæ, quam meditor, Curiosæ sive de Animalibus & Plantis, Animaliumque partibus & quæ ad plantas spectant, in lapidem verè & realiter conversis, complemento, rationibus partim, partim exemplis, & ulteriore historiarum fide nec non conjecturis quibusdam ex triplici Naturæ, vocatoque in *Calculi formes* subsidium Chymicæ Artis Regno, petitis cum DEO declarabo, *in sanguine.* probaturus, hære in ipsis, quæ nos rigant, Venis, inter liquidos purpuræ sanguinæ Fluctus, & ob inquinatas semel resolutas intra

Exemplo Tophorum in Aq̄s.

Saxei Montium pedes unde?

Succi Fossiles concreti.

Spuma Tophaceæ Fontis Aponensis in agro Patavino.

ventriculum petroso alimentorum sale chyli partes,deferri per corpus sursum ac deorsum haut rarò fomitem exitialis Tartari & faxeos catarrhos, haut aliter, ac Rivi Metallici passim, Mineræ,â quâ eruperunt, indolem secum fuerunt, & ejusdem ope, pro variâ inhærentium nunc volatilium nunc fixorum salium activitate & corporum dispositione, vel plantas ac animalia corripunt, occupant, destruunt & in lapidem convertunt, vel forinsecus minimum Tophaceam ipsis Crustam & vestem semisaxeam inducunt ob adhærentiam videlicet limi tenerrimi, cujus humiditas dum transpiravit, sive leviter tantum compactæ & admodum friabiles, sive concretæ magis & utcunq̄ve crysalli satæ, siccæ certè ac duriusculæ relinqvuntur, sic, ut planè faxeos Montium pedes reddi rivosq̄ve ipsis allabentes variis lapillorum generibus repleri, vix aliunde suspicetur MARTINUS SCHOOCK (de Turffis c.5.p. m.27.)

Id quod de succis plerisq̄ve Fossilibus præsertim verum est, qui per successivam partium accretionem, intra vel supra Terram emergunt, & cumulantur mediantibus Aq̄vis, quæ variè per Montium cryptas & salebras discurrent, vel per occultos Terræ poros in aliquâ ejus concava transudant, aut alibi, formâ spumæ cujuspiam erumpunt.

Tales sunt Tophi illi candidi, striati & scabri, quales al Abano, non procul Patavio, meridiem ejus versus, antiqui fontes Ebani, Aponenses, vel Abani, Patriâ PETRI APONENSIS clari in confinio montis Ruæ & collium Euganeorum, etiamnum continuo scaturiginis fervore ad margines deponunt, ipso jam olim CLAUDIANO teste (Epigram. d. Apon.)

Nulla cum strepitu madidis infecta favillis

Despumat nivem fistula cana salem;

Suntq̄ve ejusmodi Frustrula, spumæ illæ Thermæles, bellè admodum virgatæ ac striatæ, veluti multiplicia quædam germina faxea candicantia sibiq̄ve arctè complicata dixeris. Agglutinanturq̄ve marginibus Terræ, non confertim, sed sensim, quia in minimas atomos prius sunt solutæ: hinc nec ipsam, quâ eluuntur aquam ulatenus turbidam reddunt, sed limpidissima hæc à fonte suo derivatur ad longinq̄va, in quorum convalle alicubi tantopere fluctibus

etibus augetur, ut rotam molendini circumagat, ad stipulante
 Dn. D. CHRISTIANO LANGIO (d. Thermis Carolin. c. 3. §. 32.)
 observavitque proinde Cl. VVEPTERUS (d. Apoplex. p. 207.)
 rotam etiam hanc topho candido obduci, dum ita ait: *In agro A-* *Rota Molendi-*
ponensi vidi, à Thermarum aqua ad sensum limpidissima ac purissima Ro- *ni Topho ob-*
tam Molarem, quam versabat brevi tempore undiquaq, densissimo candi- *ducta.*
antelapide, unciarum duarum crassitie incrustatam fuisse, quem alternis
mensibus molitores ceu in opera sua remoram, dedolare cogebantur. Immo
planè ab iisdem aquis in saxum conversam muliebre mam-
mam HEURNIUS se vidisse asserit Method. ad Prax. (tit. lutum *Mamma mu-*
Thermar. p. m. 29.) cum quo conferatur HENRIC. ab HEER, *liebris petre-*
(Spadacren. c. 2. p. m. 18.) *facta.*

Similem in modum in Germaniâ etiam nostrâ passim, præ-
 cipuè verò in Thermis Carolinis sabulum nunc magis, nunc mi-
 nus candicans, flavescens aut rubicundum formâ erosorum den-
 tium, marginibus parietum adhæret. Atque licet fontes, qui
 prætereà in Spâ & Leodii habentur, actu potiùs frigidi sunt, quâ ca-
 lidi, HENRIC. ab HEER (Spadacren. c. 7. p. 51) referente; unde
 cum aciditate, quam junctam habent, à misturâ chalcanthi, sitim
 jucundissimè exstingunt: sine prægresso, calore tamen & effer-
 vescentia, Mineram Ferri, Chalcanthi, ac aliorum Fossilium, non
 acceperunt, quod vel superstes in ipsis sulfuris admistio compro-
 bat & frigidioribus quantumvis Acidulis istis hærens. Unde lau-
 datus HENRIC. ab HEER (Spadacren. c. 6. p. m. 49.) Vidimus,
 inquit, *Sulfurearum Aquarum quasdam actu frigere, alia tepere, nonnul-*
las fervere, ut vel ovo coquendo, vel quibus deplumandis sufficiant, prout ni-
mirum multum parumve Sulfuris admixti habeant.

Proindeque dum de Thermarum alioqui Tophaceo sabulo
 hic sermo est & fontes isti Spadani actu potius sunt frigidi, eorum
 tamen mentio nihilominus huc quadrat cum & ipsi sabulosas ad
 marginem quasdam Scorias exponant & Ochras veluti, juxta
 HELMONTIUM dum ait, (cap. 4. de Lithiasi §. 3.) *Habent Spa-*
dani Fontes spiritum sulfureum manifestè acidum, & Venam Ferri. U-
trumq, nempe Embryonatum immaturumq, continetur liqvatum in aquâ
simplici. Mox itaq, incipiunt ambo vires reciprocas in se mutuo consere-
re. Atq, tandem, cum lassatis viribus stiterint actionem suam, condensan-
tur in Corpus lapideum, lagenis se affigens, in formâ Ocre &c. Liquatas in

*Thermarum
feror unde?*

*Ad extractio-
nem sale opus.*

*Aqua minera
Antimonialis
innocua.*

*Vini utilitas
in potiunculis
purgantibus.*

aqua simplici mineras Spadanarum dicit HELMONTIUS. In-
tellige in minima dispersas, ex pugnâ salium, sine quibus nulla
facile in Venis subterraneis effervescencia, aut ebullitio, nulla fa-
cile seminii alicujus metallici à Mineris suis derasis ac depositio
in Aquas fit; sed simpliciter quodammodo ad proliciendas in
aliquem liqvorem è minerâ crudâ auras metallicas, requiritur
quoddam sal quod se in intima illius insinuet, destruendoque
compagem latentes intus tincturas & activiores particulas eli-
ciat! Cujus rei exemplum speciosum, Clariss. Galliaë Chymicus,
P. JOH. FABER (apud D. CHRIST. LANGIUM, d. Therm. Ca-
rolin. c. 3. §. 12.) nobis insinuat, asserens, dari in quâdam Galliaë
regione puteum, qui ex Antimonii fodinâ ac minerâ stillantes a-
qvas continuò emittat. Neque tamen has ullis Antimonii virtu-
tibus gaudere, sed bono digestionis successu, ac impunè, bibi ab
omnibus ejus loci incolis. Cujus rei causam laudatus FABER
hanc pronunciat, quod aqua ista careat miscelâ salis. Probatq;
hoc experimento, si enim Antimonium crudum aliquandiu aquæ
tepidæ, immò fervidæ immergatur nisi modò vini aliqua pars fu-
erit admista non perceptibilem fore ullam in Aquâ ista Antimo-
nii virtutem, sed requieturam, ut ita loquar, in suâ sede. Vinum
verò quam facilè penetrat, ratione salis volatilis! Quam integrè
sæpe Vegetabilium alioqui virtutes in menstruum aut liqvorem
ponit! Hinc graviter monuisse memini Medicum Seculi nostri
ter-maximum, Nobiliss. DN. D. JOH. MICHAELEM, quoties
potiunculæ alicui catharticæ, Corpora Resinosa adderentur me-
liorem fore eorundem extractionem, si aliquid vini addideris!
Ad cujus imitationem, eventus me fecellit nunquam sive in Affe-
ctibus Melancholicis, sive serosis, aut aliis procurandis, e. g. in A-
nomaliâ Cholericâ, præmisso digestivo.

R. Sirup. Cichor. c. rabarb. ʒss.

Scammon. ʒrat. gr. v.

Resin. gialap. gr. iij.

Aqv. Cichor. Taraxac. Violar. a ʒss.

Cinam. borraginat. ʒij.

Vin. Rhenan. opt. ʒvj.

Tartar. ʒlat. gr. iij. M. pro haustu qui non ita pri-
dem Juveni cui piam 20. Annorum propinatus à me, alvum de-
cies

cies movit sine intercedente ullâ ventriculi nausæâ, intestinorum-
 vè qvantillo tormine, aut jactura virium; immò cum notabili po-
 tiùs assumentis tolerantia ac *ευφορίᾳ* ! Ex eodemqve fundamen-
 to Mechocanna melius in infuso, quam formâ pulveris accipi-
 tur: infertqve SCHRÖDERUS (lib. 4 Pharmacop. §. 448.) spiri-
 tum purgantem, seu infusum Scammonii spiritu vini Malvatici pa-
 ratum, sine ullo fastidio aut molestia purgare: unde solutivorum
 istiusmodi spirituum, non infreqvens hodiè etiamnum usus est in
 Curâ Virginum & delicatulorum, qui à majori dosi abhorrent,
 Vratislaviæ, Dresdæ, alibi. Novi tamen exempla eorum, qui
 post assumtum, arbitrio Medici, ejusmodi spiritum, pessimè po-
 tius habuerunt, insignes ventriculi ac intestinorum dolores, tre-
 mores artuum, corporis totius imbecillitatem, & plusquam-bi-
 duanam Anorexiam postea perpesi. Ratio, meo quidem arbi-
 trio, est, quod partes spiritus purgatrices, per viam præcipitatio-
 nis in ventriculo aut intestinis ad pristinum Refinæ suæ habitum
 (si frigidus præsertim aliquis haustus superbibitus fuerit) sunt re-
 gressæ. Hinc præcipitatae Tunicis intestinorum hærent, tormina,
 jacturam virium suscitant, à quibus syncopas non rarò, convulsio-
 nes, ac tremores, & nisi maturè abstergantur ferociaqve eorum
 sopiatur, lethales aut periculosas tandem Hypercatharses seu su-
 perpurgationes gignunt: cui sententiæ meæ insigne robur addit
 expertissimi autoritas ZVVELFERI, qui (Append. in Pharm.
 Reg. Class. 4. p. m. 7.) videatur ut plura hic non addam.

*Spiritus Vi-
 ni purgans.*

Jam, quod auras Thermarum Metallicas, beneficio salis
 subterranei à mineris suis abrofas vicissim attinet, ut de modo i-
 dentidem dicatur, quo illæ Tophos ad marginem deponant, no-
 tare convenit vel consistere eas in substantiâ minus volatili, & so-
 lutas esse tantum in pulverem impalpabilem, aut atomos, aciem
 oculi fugientes: abstractâ verò humiditate, magis magisque rur-
 sus sibi associari, copia in unâ aliquâ parte augeri, fundum petere,
 coagulatasqve aut induratas ibidem obhære: vel natura gau-
 dere prorsus volatili, ac variè in sanguine divagari, donec à causa
 rursus aliqua figantur & forma sabuli cujuspian, oculis se sub-
 mittant. Ad quorum posterius assertum vindicandum HEL-
 MONTIUS spiritum alium quempian æqvè fugacem afferre vi-
 detur & declarare quidem exemplo calculi Vesicæ, eandem ta-

*Modus quo
 Tophi ad lim-
 bos Thermo-
 rum depo-
 nantur.*

*Paradoxum
 Helmontii.*

men aut similem prorsus opinionem de generatione Calculorum etiam in Macrocosmo obtinere! Adeoque Autor hic (d. Lithiasi c. 3.) ubi ad investigandas causas, quas (§. 1.) vocat Radicales, contentorum Urinæ spagyriam, unicum illud intellectus sui speculum adhibuit, credit spiritum quendam Vini contineri in spiritu Urinæ: atque quemadmodum ex spiritu Vini, spiritui Urinæ affuso coagulum album, (§. 5.) instar offæ, momento fieri, experientia doceat; ita persuasum sibi habet, similes duos spiritus coexistere in Urina, sibi que cohabitare; concursu verò eorundem facto, momentaneò (§. 9.) & ictu oculi calculum exindè generari quatenus scilicet spiritus Vini seu Aqua vitæ (§. 13.) coaguletur à spiritu Urinæ.

*Similitudo
Autoris.*

Si nempè spiritus hi se habebunt forsàn, quasi duo Vultures in Aëre pugnantes: qui, ubi unguibus sibi implicantur, fugæ amplioris obliviscuntur, junctimque in Terram lapsi humanarum manuum præda fiunt.

Esse autem associationem hanc HELMONTIUS asserit, non nudam aliquam partium commistionem, sed unitatis indissolubilis connubium, substantialem quendam transmutationem, ac Entis novi productionem ab agente & patiente in Corpus neutrum. Adeoque instar Hermaphroditi potius Ovidiani (lib. 4. Metamorph. fab. 4.) ex duobus in unum aliquod tertium corpus coalescent?

*Duelech Hel-
montii.*

Istud Corpus ex complexu duorum in Urina spirituum jam enatum, nisi fallor, HELMONTIUS, inaudita Grammaticis voce Duelech vocat, & eo ipso à Natura Cretæ Podagricæ (§. 14.) distingvit, quod hæc sensim fiat per modum concretionis & arefactionis partibus videlicet aqueis diffatis, (§. 15.) Duelech vero ictu oculi celerius (§. 9.) & unico instanti (§. 15.) induretur, & spontè concreseat in medio Urinæ (§. 14.)

Refutatur.

Plura apud eundem HELMONTIUM (cap. de Tartaro non in Potu) videas, huic sententiæ fundata, quam verò non ineruditè refutavit HENR. MARTINIUS, (Anatom. Urin. c. 14. p. m. 252. seq.) qui proinde, si cui lubet, consulatur.

Ut itaque repentinum ejusmodi generandi modum, lapidificos, inquam, istos volatilium spirituum amplexus & connubiales

les auras à Tophis Thermarum excludamus, verisimile ut supra etiam innuimus, est, fieri potius per successivum limosarum partium, sed insensibiliter per aquas disperfarum, coalitum, intercedente humidi transpiratione, quæ collectam aliquandiu sabuli materiam tum demum sensibus manifestat, interdum & aliquas salis crystallini cooperatione; quæ indifferenter certè negari nequit, cum sæpè reperti ac geniti, quemadmodum in corpore humano fuerint calculi, qui minimè omnium, aut difficilius certè comminui manibus, vel fricari potuerint; cujus indolis ferè etiam ac quodammodo erant calculi Sperlingiani: ita propè Thermas etiam Tophi, paulò solidiores, aut circa aquas alias simili sabulo fœcundas.

Tophi Thermarum successivè fiunt.

Ita Pflaumero teste (I. 2. Mercur. Italic. p. m. 67.) STEPHANUS PIGHIUS scribit, Aquam in campis puteolorum sulfureis manantem, solidescere in saxum & incrustare riparum margines alveumque lapideo tectorio obducere, quia tenuissimos exustarum glebarum pulveres vehat, qui humoris contagione spissentur, ac denique lapidescant; ac cæteroquin apud Aquicolas propè Varium, sed Varronis vicum spectari speluncas & cavernas crebris viarum flexibus horribiles, mille vespertilionum globis habitatas spectabiles tamen & refertas copia insolentium Naturæ operum, & imprimis eorum, quæ olim per rupium hiatus & fissuras stillantes aquæ tenerè ac mirificè efformarunt. Cerni namque multiformes & prægrandes columnas, cerni vastarum arborum ramosos truncos, & monstrorum instar esse Gigantum ac Centaurorum corpora saxea omnia, è stillicidiis nata.

Aquæ & Puteolorum sapifica.

Stiria multiformes in Antris ac cryptis.

Ut conos prætereà neque illos fileam, Nitri participes, quales tum passim in cellis humidioribus magna copia, tum nominatim Vratislaviæ, in Patria mea, sub augustis, quibus pollet, & spaciosis, lateritiis partim faxeis, stupendo robore, arte ac splendore, maximè vero Civium concordia conspicuis, fornicibus alicubi prodeunt, stillandoque deorsum, non diffuunt amplius sed concrescunt, & nitidissima quadam, sed rigida veste circumjacentes fortè paleas, aut stramina incingunt. Quæ submuralia, quas protensas in longum, fornices, non immeritò quis Vratislaviam quendam, uti Romam alioqui, subterraneam dixerit.

Coni nitrosi in submuralibus Reip. Vratislaviensis.

*Nitrum fa-
ctitium.*

Ex stiriis istiusmodi Nitrum potest elici, pro conficiendo pulvere pyrio; eoqve jam pridem ars devenit, ut difficile haud sit, non in officinis solum Pharmaceuticis, aut Chymicis, sed crystallina cujuscunqve generis, sed vel apud Plebejos passim, in quovis & viliori domus angulo, ex modico terræ cumulo, cineribus lignorum & urina, Nitri copiam producere, facem exempli prælucente hodie etiamnum GLAUBERO, cujus scripta ec- cui sunt ignota?

Attexerem plura hic ex spontaneo cumprimis Naturæ nisu, de succis quamplurimis aliis in lapideam speciem concretis, qualium diligentissimus AMBROSINUS (descript. Muse. Metal-lici ALDROVANDI lib. 3. c. 1.) meminit, nisi hæc paulò remoti- ora à scribendi scopo essent.

*Confetti de
Tibuli siue
Bellaria Ti-
burtina.*

Unde nec de saxigena maris Fluminum, Lacuum, Rivorum, aut Fontium quorundam vi, nihil de Bellariis, quæ vocantur, Ti- burtinis, addam, seu lapillis Tophaceis candidis, inæqualis ac scabræ superficiei ex saxifico Agri Romani flumine depromptis, nucleosqve Amygdalarum, ac semina Fœniculi, vel Coriandri, saccharo obducta, usque adeò exactè referentibus, ut ignari eo- rum degustantes quam sæpius fallantur: à cujus figuræ similitu- dine proinde Itali, Confetti de Tibuli, nos Bellaria Tiburtina di- cimus, à Cl. OLAO WORMIO etiam alioqvi (Musei l. 1. f. 2. c. 6. p. 52. & Ante-laudato ALDROVANDO (lib. 3. Mus. Metall. cap. eod. p. 278.) quædantenus descripta:

*Corpora va-
ria petrefa-
cta.
e.g. Animal-
ium ac planta-
rum partes.*

Nihil de seminibus aut fructibus aliis, caulibus, foliis, radi- cibus, verè in lapidem conversis, cujusmodi rerum plurimas, nec non Animalium variorum, & inter ea Hominum etiam, diversas partes, capita, inquam, brachia, inguina, pedes petrefactos, unà cum aliis stupendis Naturæ ac Artis operibus inexhausti precii & splendoris, Venetiis, in Palatio Nobilis cujusdam per singularem ac iteratam gratiam Illustrissimi ibidem, Amplissimiqve Sena- toris, & eo quidem tempore Serenissimæ Curiae ADVOCATO- RIS, DN. JOH. FRANC. LAURETANI, inexplata animi volu- ptate videre mihi licuit; in palatio, inquam, rari exempli æde, quam proinde non Venetiarum solum, sed vel Lombardiæ totius Minervale quoddam aut Palladium dixerim.

Nihil

Nihil porrò de ipsis Homīnibus integris Petrefactis addam, nihil de Lignis lapideis, Coraliis semifaxeis jam & partem adhuc lignosis: nihil de Fungis lapideis, quales ex Italiā allatos tum Excell. Dn. MAURITIUM HOFMANNUM PROFESSOREM Noricum Amplissimum Amicumq; ejus, profundissimæ eruditionis Virum, Dn. D. VOLCKAMERUM, tenere suspicor, tum ego duos in supellectili meâ teneo, alia vice plenè describendos: aut ex TORELLI SARAYNÆ Historiâ Veronensi Italicè conscriptâ ALEXANDRO ab ALEX: (lib. 5. gen. Dier:) FAB. COLUMNA (observat. Aquatil. & Terrestr. cap. ni fallor 21. p. 44.) ALDROVANDO (lib. 4. Musei Metall. c. 62. p. 819.) aut aliis, de Echinis videl. marinis, paguris, stellis piscibus, cochleis, ostreis, mitulis, tellinis, aut spinis piscium, intra montes olim, & forsan jam prisco Diluvii tempore eò delapsis, posteaq; intercedente longissimo seculorum tractu in lapidum quemadmodum naturam, sic duritiem mutatis:

item Homines integri.

Testacea, & Crustacea varia.

Nihil de Piscibus, Canibus, Lacertis, rebusvè aliis, miraculose propemodum, aut insolenter certè, intra media lapidum viscera repertis, ut obscurum, ac grave dictu sit, quā viâ ac ratione, in ipsa, ut ita dicam, Marmorum viscera, & occlusos eorum undiq; parietes, devenerint, prout narrantur conchæ alioqui etiam ac genuinæ ostreæ, medio marmori inclusæ, posteaq; in Thessaliæ ac Hæmonix lapidicinis adinventæ, & anguis integri corpus tempore Urbani VIII. Pontif. repertum Romæ, & corpora alia, quorum speciosum Catalogum dabit indubie Magni Mundus subterraneus KIRCHERI:

Animalia intra medias petras reperta.

Essetq; incidenter proinde etiam aliquid de muscis, apibus, formicis, culicibus, vermiculis, lacertis, araneis, graminibus item ac stipulis, succino inclusis aliquid monendum; de quibus singularem opinionem vide sis apud celeberr. D. JOH. DAN. HORSTIUM (observat. Anat. 2. p. m. 10.) existimantem, non inesse vere talia Succina, sed apparere tantum, & orta esse ex peculiari impressione cœli, cujusmodi sive phasæ sive vera corpora certè rariora sunt, nec observata hætenus in succino nostro VVittenbergenfi, VVittenbergenfi inquam. Nam & hic, quo in loco hæc scribo, vivente adhuc Conjugis meæ Avo. Fami-

Corpuscula Succino inclusæ;

Succinum VVitteberga ebulliens,

geratissimo SENNERTO, sub renovatione valli, in fossâ, procul ab omnibus locis maritimis, in grato Albis confinio, reperta fuit Terræ Vena arenas veluti tenuissimas ebulliendo projiciens, cum quibus simul exiere quædam Succini frusta, translucida, aurei coloris, atq; si flammæ adhibeantur, æqvè ut Succinum Prussiacum, inflammabilia, & amicum spirantia fragrorem.

Ex quibus exemplar quoddam teneo ex liberalitate Honoratissimi Civis mei, JCTI Excellentissimi Dn. D. CHRISTOPHORI BRESLERI, Museo gratâ Naturalium varietate in his locis clari: aliudq; frustulum, similis prosapiæ ac indolis adferro quod noviter etiamnum ex eâdem venâ erutum mihi donavit Laudatissimus Electoralis hujus Urbis Capitaneus, Dn. ERASMUS EGERLANDUS, Ut frustra amplius sit, pulcerrimi istius Bituminis Natales unice in undis quærere velle, cum ne Succinum quidem Prussiacum aliunde, quam Terrâ nasci videatur, innuente AMBROSINO (lib. 3. Musei Metall. ALDROVANDI, c. 18. p. 407.) dum ita ait: *Inter alios Autores nobis magis arridet Erasmus Stella, in libro de Borussia Antiquitatibus, qui divulgavit, è limo quorundam Montium, Sole operante, fluitare, & in herbido, atq; algido Solo, his montibus subjecto, densari, & Oceano illic effervescente inde rapi, & in proxima litora propelli. Indicium autem hujus rei esse tradit, quoniam ex solo interdum eruitur; quod cum molle & lentum adhuc sit, loci incolæ mari immergunt, cujus ope postmodum lapidescit.*

*Prussia cur
ferax succini?*

*Regressus ad
Historiam Cal-
culorum Sper-
lingii.*

Sed missis tandem his omnibus, missâ ampliore calculorum in Macrocosmo historiâ, imprimis quod talium propediem mentionem facturum sim in Lithologiâ meâ Curiosâ, ad æqvè curiosam, sed non sine mœrore, historiam mortis & calculorum SPERLINGII revertamur.

*Decubitus &
Agon Sperlin-
gii.*

Doloribus itaq; Lumborum, & molestis Dorsitorminibus, concurrente mingendi difficultate ac tarditate per aliquot retrò annos vexatus, corpore verò ceteroquin robusto ac valido, cui proinde etiam nimis ferè confidebat, Cl. SPERLINGIUS, medicaminum assumendorum impatiens, circa Julii Mensis finem, superius dicti Anni 1658. âplumis amplius se cohibere, quam maximè vellet, nequit, sed incassum quæsitâ ampliore obam-
bulan-

bulandi libertate, victusq; mali vi, tertia quasi ante obitum hebdomade, Lectulo se, ultimo Mortis suæ Proscenio, submisit, agitantibus ipsum non rarò, ut calculosis fieri assolet, & defatigantibus vomitibus, ratione ventriculi, in consensum tracti.

Hinc nec tantillum detinuit penes se, quodcunq; ex Pharmacopolio allatum, offerri sibi tandem permittebat.

Urina toto decubitûs tempore obstructa mansit, nec destillare ex Renibus quicquam ejus potuit, ob Ureteres Sabulo infarctos.

Exacerbabantur dolores, superveniebant cum Febri vigiliæ, quæ innocens corpus usq; ad ultimum ferè vitæ Articulum, convulsionibus finitum, excruciant.

Acquievit tamen paulò ante hunc, & placidè postea animam exspiravit, quam precibus quotidie, & piis suspiriis sancto ex hac vitâ & irremeabili itineri præpararat. *Ejusdem Mors.*

Ad conciliandum super hoc mœstissimæ viduæ solatium, ut ipsa incurabilis morbi reliquias ac testem, Calculos videret, quæsitus à me, in aperto defuncti corpore, fuit mortiferæ causæ locus. Atq; sic, dum manus admoverem, integumenta abdominis, muscoli & viscera pleraq; rectè satis se habebant. Quibus proinde ad latus revolutis, factisq; ex arte quibus opus erat, ligaturis, ne dextræ ad partem affectam tendenti quid obesset, abactoq; à Renibus involucro confestim iidem apparere penitus inflammati, qui sic radices febris fuerant. Nisi enim fallor, omnem inflammationem internam Febris sequitur, non quidem tam præcisè ob vapores, qui ex effuso in partem inflammatam, ibiq; putrescente sanguine cordi communicentur, illudq; calefaciant, quam ob impeditam potius sanguinis circulationem & spiritus exæstuantes, cujuscunq; certè repaguli prodigos: Unde hi objecto semel obice, confestim retrò ruunt, assumptoq; in furoris societatem sanguine, imprimis quando hic jam est in viâ ad putredinem, quemadmodum universum corpus Febre, sic cerebrum præterea ac simul vigiliis insuetis torquent. *Apertio Cædæ-
Seriæ.* *Causa Febris
in inflamma-
tionibus inter-
nis*

Quæ certè à B. SPERLINGIO non abfuere, præsertim postquam fervidus iste Renum Tumor augmenta sua sumsit.

Increverat verò is adeò, ut illorum figuram etiam, ac ex- *Renum Figura
Varia.*

ternam dimensionum determinationem, quodammodo mutata cerneret.

Hæc, ut notum est, per naturæ leges, instar Phaseoli Indici, in Adultis, lævi & planâ superficie describitur: in foetu ac recens natis tuberosior parumper est, & quemadmodum intus glandulis, sic in ambitu etiam quibusdam eminentiis distincta, quasi plures Renelli in unum globum in alterutro corporis latere sint congesti, ob plures videlicet illas, quas dixi glandulas, quibus Renes, etiamsi obscurius, (non excluso tamen hic proprio parenchymate, integrantur. Censetq; hoc Foetui proprium Anatomicorum nostri seculi Alpha & Omega Th. BARTHOLINUS (Cent. 1. histor. Anat. 14. pag. 29.)

Multitudo Renum in Lutris.

Ego verò non obscure, sed sat evidenter, nec glandulosa corpora, unum aliquem renem constituentia, sed singulos ac numero distinctos Renes non semel observavi in dissectis Lutris (German. Fisch. Ottern) complicari, quatuordecim in utroque latere, & connecti sibi, velut in botro uvæ sibi per singulos pedunculos connectuntur, singulis Membranis, Venis ac Arteriis emulgentibus.

Præternaturales Renum, ob Inflammationem, protuberantia.

Et vicissim, in Exuviis SPERLINGIANIS, unus quidem tantum utrobique, prout per Naturam humanam decet, Ren observabatur, elatior tamen uterque, in aliquibus superficie suæ partibus, sic, ut nisi Renes plurimos complicatos, uti de Lutris retuli, extraordinarias tamen quasdam, & arcuiatas veluti eminentiæ notas, ob summam, quâ distenti erant, inflammationem, referrent, non obstante, quod CL. LOESELIIUS alioqui (Scrutin. Ren. Inciso 1. artic. 2. §. 7. p. m. 14.) ARISTOTELEM repudiat, qui (lib. 3. d. Partib. Anim. c. 9.) ait: *Hominum Renes Bubulis similes sunt, & tanquam compositi ex multis renibus exiguis: neque æquabiles, velut Ovium renes: nam tuberosam Renibus figuram in homine nos tribuimus: nam loquimur hic de statu præternaturali, contra quem à Naturali non valet Argumentum. Immo in Naturali etiam distinctim procedendum, ratione Ætatis, uti modò ex BARTHOLINO dictum est.*

Sed quænam jam facies interna erat Renum Sperlingianorum? nam hujus lustrandi gratiâ imprimis Sectio instituebatur.

Illo-

Illorum uterq; , quod admirandum , omnimodè repletus erat Calculis innumeris , minimis , mediocribus : tribus etiam præterea maximis , sic , ut internum latus omne , ac finum , pelvimq; , quam vocant , seu aperturam , Renibus æque , ac Ureteribus communem , penitus occluderent.

*Descriptio
Calculorum
Sperlingii :
Non in reni-
bus solum.*

Ureteres ipsi etiam à suo circa Renes exortu , usq; ad Vulvam vesicæ immani arenularum copiâ , & farciminum instar extensi & turgidi videbantur , ut irritus tandem fuerit quotusqvisq; Naturæ , sive in promovendâ Urinâ , sive Renum calculis , minoribus quantumvis , conatus , quem sanè , non sine insigni doloris sensu unquam exorsa est ; sed quotiescunq; hos loco movere aggressa est , visum sibi retulit B. SPERLINGIUS , ac si aliquis cultro acuto vulnus profundum , secundum longitudinem Lumborum ipsi infligeret ; tractusq; hos identidem à summâ illorum parte , usq; ad regionem vesicæ , repetitos daret ; unde colligi potest summa doloris ferocia , & atrocitas , summa totius corporis inquietudo , quâ Optimus Vir decubuit , ut subsequat tandem mortis exemplo ipse etiam docuerit , verum esse , quod scribit ANDR. LAURENTIUS : (præfat. oper. Anat. p. m. 5.) *Reperiuntur in corporibus nostris fodinæ , è quibus Metalla & Lapides eruuntur , non ad adificandam , sed diruendam domum.*

*Sed totâ eti-
am Ureterum
cavitate.*

Placuit proinde , majoris evidentiaæ ergò , Calculos istos , mortis SPERLINGIANÆ autores , ære delineatos dare , accommodato ordine figurarum , ad ordinem inventionis.

*Iconum , æ-
re incisarum ex-
plicatio.*

Primus itaq; , figurâ I. delineatus , sat grandis , figuræ ferè triangularis , sed , circa basin , latioris , quasi montana quæpiam repræsentet , superficiei inæqualis & asperæ , coloris , ut reliqui omnes , ex albo flavescentis , consistentia non fungosæ aut spumæ , sed compactæ magis , & durioris , in cavitate Sinistri Renis hæsit , correspondens illi non parum , quem in muliere quâdam visum delineat Tulpus (lib. 2. Obs. Med. 45.) Atq; hic noster , ad æquilibrium vocatus , dum humidior adhuc esset , & magis recens , Drachmas Medicas quasi tres pependit ; replevitq; cum altero sibi accumbente minore , calculisq; quamplurimis aliis minoribus totam modò dicti Renis Sinistri cavitatem.

Figura I.

Fig. II.

Secundus, priore duas Tertias minor, figuræ ferè orbicularis, sed oblongæ ac tuberosæ, atq; in se spectatus, ipse etiam sat grandis ac damnosus, in eodem Sinistri Renis thalamo, (ingratus corporis hospes) recumbebat, ne quicquam deesse videretur ad absolutam aliquam Urinæ interceptionem.

Illius icon exhibetur in Figurâ Tabulæ secundâ. Pondere primùm æqvavit circiter drachmam unam Medicam; nunc, tractu Temporis exsiccatus (memoriæ causâ enim ipsum asservavi) vix dimidium ejus pendet, ob deperditionem humiditatis, quæ antea gravitatem ejus augebat.

*Fig. III.
Calculus stupenda magnitudinis.*

Tertius omnium maximus est, & reliquorum veluti Pater, stupore & admiratione dignus, quia similes alios aut majores annotatos vix reperias, aut observatos, stante hominum memoriâ, tribus quatuor exceptis, qui apud JOH. GEORG. SCHENCKIUM ex observatione KENTMANNI, CAMERARII, ac suâ delineantur (cap. 14. Lithogenes. p. m. 40. seq.)

Totam ille Renis dextri capacitatem occupabat, & nihil non in eo connotabatur memoratione dignum, si ve molem ipsius, & pondus, si ve figuram, & processus, si ve situationem tandem consideres.

De magnitudine jam quodammodo est dictum; corpusq; ipsius, seu maxima ejus crassities, ad nucis juglandis mediocris molem accedebat.

Ejusdem pondus,

Gravitate, & inclinatione ad Centrum Mundi, postquam ille ad æquilibrium reductus, accessit ad pondus drachmarum quinque Medicarum, & paulò amplius.

Figura, processus,

Figuram processus crassissimi deformem reddidere, ex quibus duo breviores, in eodem Calculi latere, dorsum Renis spectante, sibi oppositi, ut ex figurâ III. patet, spaciis

spaciis insignioribus Caruncularum Papillarium conspicebantur implantati: tertius verò, isq; longior & curvus, zosterum Avis alicujus æmulans, pelvim, seu Ureteris principium obstruebat, eiq; veluti cuneus quispiam insertus, non permisit quicquam ad Vesicam pertransire, ne guttam quidem.

Figurâ quartâ Calculi plurimi minores, diversi inter se ponderis, figuræ, ac molis exhibentur: ex quibus alii rotundi, & pisces similes, alii grana milii referentes, alii majores, & irregularis figuræ, alii oblongi ac mediores, alii tandem arenularum minimarum instar, quemadmodum residua in renibus spacia, sic maximè omnium Urinales meatus, inter renes & vesicam, oppilabant, ut farciminum par quis dixerit, si cui inscio Ureteres hi objecti essent.

Rarissimum profecto fuit hoc, & commemoratio-
ne summè dignum.

Ab illorum copiâ & asperitate factum, ut auctum indies fuerit quoddam etiam Exulcerationis periculum, unde B. SPERLINGIUS, ubi contentiùs quandoq; ante decubitum ambulavit, discussurum se existimans, ope motus, præsentaneas Mortis suæ causas, non tam profuit sibi, pauxillum arenæ evacuando, quàm obfuit, mictionis cruentæ speciem incurrendo, ob attritas à calculis per agitationem partes. Etiam si enim calculi tam renum, quàm Ureterum, dum eximerentur, mucò quodam & lentore purulento obducerentur, usq; adeò tamen scabritiem suam ac asperitatem non amiserant, quin angulis suis ac eminentiis lædere partes molliores potuissent; ut taceam, quod per intempestivum istiusmodi motum limosa sabuli colluvies prorsus tandem est compacta, ut nulla emittendæ Urinæ spes amplius superesset.

Hinc

Fig. III.
Calculi Ure-

Fig. IV.
Calculi Ure-
rum.

M. Aus cruen-
ti causa.

*Ischuria diu-
turnioris
exemplum.*

Hinc mirum non est, Vesicam alioqvi salvam à no-
bis visam fuisse, Humoreq; seroso ac Lixiviali prorsus de-
stitutam, ob totalem, inquam, infarctum Renum ac U-
reterum.

*Mortis in ea-
dem progno-
sticum.*

Hoc verò admirationem præbet, in tantâ Urinæ sup-
pressionem, & necessario indies Alimentorum, utut pau-
corum admodum, & exilium accessu, mortem tot ac tan-
tas tenuisse moras, quandoquidem JOH. DOMINIC.
SALA, alioqvi multiplicis experientiæ Medicus, semel,
non amplius, toto vitæ suæ spacio, Urinam quindecim
diebus in viro quodam suppressam meminit, venis ad
pollicis magnitudinem tumefactis. Secus, urinam su-
pra quinque vel sex dies nunquam recordatus est reten-
tam, monente JOH. RHODIO (Cent. 3. Obs. Medicar.
28.) Sed ægri plerumq;, nisi ante septimum diem min-
gant, moriuntur, ob viscerum à regurgitante sanguine
oppressionem, febris accensionem, & ultimam virium
suffocationem.

*Valvularum
in prohibendâ
suffocatione
impotentia:*

Nam, ut coronidis loco hoc addam, jam dictæ san-
guinis regurgitationi in talismodi obstructionibus re-
num insignioribus resistere queunt valvulæ, quando-
quidem

*earundem in
Trunco Cavæ
absentia,*

I. Nullæ dantur in Trunco Venæ Cavæ, quâ parte
Emulgentes enascuntur, si Aquapendenti, Valvularum
seu Ostiolorum in Venis primo (ut autor sibi persua-
det) inventori (Tractat. d. Venar. Ost. Tab. 3.) cre-
dimus.

*in ramis
Emulgentibus
præsentia.*

In Emulgentibus tamen ejusdem Venæ Cavæ ramis
observata ostiola à se, eminentissimi quidam Regni A-
natomici Proceres attestantur, ea videlicet venarum
parte, quâ bifurcatim veluti Cavitatem Renum hæ in-
grediuntur. Vide incomparabilem Medicorum Her-
metem

metem ac Polyhistorem , D. CONRINGIUM (de Generat. Sangu. cap. 27. p. m. 194.) Ingeniosissimum HARVEUM , (d. Motu Cord. cap. 13. p. m. 55.) Diligentissimum LOESELIIUM (Scrutin. Ren. Incis. 1. artic. 1. §. 9. pag. 7.) ac alios qui unanimi ore visas ibi à se valvulas fideliter affirmant. Excellentiss. e contra Vir , & Anatomicus oculatissimus Dn. D. ROTFINCIUS ita ait ; (lib. 1. Dissertat. Anat. c. 27. pag. 939.) *Valvulas exiles in Venis emulgentibus à Vesalio in Examine , Baubino in Theatro , & Spigelio in historiâ suâ adnotatas observare nobis non licuit. Riolanus ita exiles judicat , ut , si non vera valvula , tamen quid valvula simile fiet. Harveani contrarium servant situm , latiori nempe & patente Cavam , acuminatâ & clausâ parte Renes respicere.*

II. Si quammaximè darentur , apicibus ac limbis suis tamen non obsisterent , quia eosdem earum processus & semicirculos , ad non impediendam , in statu etiam sano , sanguinis circulationem , non extremitatibus venarum , sed cordi potius obverterent , ut ita sanguis è renibus non adversum eas , sed supra exteriorem earum superficiem , flumine , ut sic pronò transferretur. Quo ipso autem intactam nihilominus velim Harveanorum , si qui contrarium statuunt , auctoritatem. Et quomodocunq; se habeant ostiola in Venis Emulgentibus , sive à renibus averfa , sive iisdem obversa sint ; Regurgitationis ratio , quoad præsentem de Calculis discursum , potius in Arteriis quærenda est. Verum enim verò neq;

III. Arteriis emulgentibus , neq; aliis in corpore facile necessariis Natura agnovit valvulas , si ante-laudato

Absentia Siccissim in Arteriis.

AQUAPENDENTI (l. d.) credimus , cum quo cele-

D

berri-

berrimus D. CONRINGIUS (de Generat. Sang. c. 27. p. 201.) & PRIMIROSIUS (contra HARVEUM, c. 12. p. m. 93.) conferatur. Unde non datis valvulis, in progressu Arteriarum, planè neq; per eas dabitur Regurgitationis impeditio.

IV. Si quavmaximè etiam in Arteriis darentur, in insigni tamen ac diuturnâ aliquâ Inflammatione, quod palmarium jam est, Sanguinem, quò minus is regurgitet, cohibere vix valerent, quia quò diutiùs hic fertur per Arterias ad partes, nec per venas tamen redire potest ad Cor, eò magis magisq; Arteria inturgescit. Turgescente Arteriâ, annatum eidem Valvularum latus deducitur cum ipsâ, & liberum vicissim earundem latus ab opposito interno Arteriæ pariete abscedit, sic, ut occludere eandem plenè non possit, sed cogatur admitte-

*Valvula ex-
censis nimium
Venis non co-
extenduntur.*



re qualemcumq; Sanguinis regurgitationem : quam rem libet tali exemplo ex mente OL. RUDBEKII (Insid. Struct. membr. 12. pag. 127.) declarare : Fiant duo canales, prout hic in appositâ Figurâ A. & B. videre est, annexasq; intrinsecus habent quasdam Valvulas, ejusdem magnitudinis, quarum pars fixa esto C. libera verò & mobilis D. Postea in Canalis A. partem inferiorem E. liquor aliquis mediocri impulsu immittatur, sic valvulae attollentur, venam occlu-

occludent, & ampliorem liquoris adscensum prohibebunt: Vicissim verò, alterius canalis B pars superna F. vinculo aliquo stringatur, & à parte inferiore G. similiter liquor quispian, sed vel majore violentiâ, vel paulò diutiùs, sursum impellatur: Sic canalus totus, usq; ad ligaturam, amplior evadet, limbiq; valvularum C. eo ipso, quo fixi non sunt, non etiam coëxtendentur, sed à latere canalis opposito D. recedent, atq; sic liberum liquori ad superna aditum concedent.

Quam opinionem, immò Mathematicam dico demonstrationem egregiè confirmat supra-laudatus CONRINGIUS (l. d. pag. m. 195.) his verbis, quæ sanè merentur adscribi: *Plerisq; in locis, inquit, si cogas sanguinem minores Venas versum fluere, ita ille à valvulis passim sistitur, ut ne vi quidem guttula ejus aliqua præterlabatur. Hoc ipsum verò non tantum in corporibus per Anatomem apertis, sed & in vivis, integrisq; est deprehendere, si brachia cum primis vinculo constrinxeris iis, quibus vena magis sunt conspicuæ. Sanguis enim valvulis conclusus, quâ parte quasi tubercula producit, & geniculos, nec suâ sponte, nec retrò pressus trans valvulas etiam in vacuum venæ spaciū solet concedere. Hoc ipsum clariùs liquet in corporibus dissectis: nullibi enim non per omne corpus hæc valvularum est Natura. Non tantum autem non sanguini, sed ne flatui quidem patet via, si venam versus minores ramos inflaveris: etiam hic enim sistitur, nisi tandem ita præter naturam dilates venam, UT AMPLITUDINE VINCAT VALVULÆ CORPUSCULUM.* Et rectè idem de Statu præternaturali partium colligere est, quod malè alioqui, tanquam de Naturali, PRIMIROSIUS Harveo objicit (de Motu

*Suffragium
Cl. Conringii*

Sangu.

& Primivrosi.

Sangu. cap. 13. p. m. 93.) *Si copiosius & celerius Sanguis affluit, quàm redire potest, fiet, ut tandem spacium venæ intra Valvulas plures, seriatim dispositas, comprehensum, affluentis Sanguinis ubertate distendatur, unde periculum ruptionis impendet, ut in habitu Athletico.*

Conclusio historia calculorum.

Atq; hæc hæctenus fuit series Morbi, hæc non obli-
viscenda facilè domus SPERLINGIANÆ, dicam & A-
cademiæ totius VVittebergensis, cui Clarissimus Vir
Rectoris titulo tum præerat, Tragœdia, quam tali Epi-
logo claudebam:

Epigramma funebre.

In scopulos quando mutatum est corpus At-
lantidis,

Sustinuit vastum Claviger inde Polum.
Calculus & nostrum nuper mutavit Atlantem,
Herculeæ defunt sed tamen usq; manus.
Marmor es, ô Lector, saxoq; rigentior omni,
Pansophiæ miseras ni gemis ergò vices.

